



D. PALMIERI
—
TRACTATUS
DE DEO CREANTE
ELEVANTE

BT695
P3

008346



1080015101

EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis

TRACTATUS
DE
DEO CREANTE ET ELEVANTE

AUCTORE

DOMINICO PALMIERI

SOCIETATIS IESU

IN COLLEGIO ROMANO E. S.

THEOLOGIAE PROFESSORE

« Videamus, Domine, caelos opera digitorum
tuorum, disserena oculis nostris nubium quo
subtextisti eos. Ibi est testimonium tuum sapien-
tiam praestans parvulis. Perfice, Deus meus, lau-
dem tuam ex ore infantium et lactentium. »

S. AUGUSTINUS *Confess. L. XIII, c. 15.*



Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria



UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Tolvender y Tabez

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
MDCCCLXXVIII

44097

BT 695

P3



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLE



Copie Alfonsina
Biblioteca Universitaria

VALERIANUS CARDELLA

PRAEPOSITUS PROVINCIALIS PROVINCIAE ROMANAE SOC. IESU.

Cam librum cui titulus « *De Deo Creante et Elevante* » a Patre DOMINICO PALMIERI nostrae Societatis Sacerdote conscriptum aliqui eiusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint, et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo societatis nostrae munitas dedimus.

Romae die 26 Decembris 1877

L. S.

VALERIANUS CARDELLA S. I.

Praepositus Prov. Rom.



PRAEFATIO

Cum praecipua humanarum mentium aberratio et perversio hac nostra aetate in eo sita sit ut rerum omnium origo ab efficiente virtute Dei atque ordinis cuiusdam, qui sit praeter vel supra naturam, existentia negetur, huc spectat noster hic tractatus ut utraque veritas scholastica methodo et declaretur et vindicetur. Et quidem tractatio de creatione penes veteres quoque theologos absoluta reperitur; tractatio vero de ordine supernaturali, quae a ceteris tractationibus distincta omnia complectatur quae pertinent ad essentiam et proprietates generatim bonorum supernaturalium, recentioribus theologis debetur, inter quos haud dubie principem sibi locum vindicat Martinez de Ripalda, qui duobus voluminibus totam hanc materiam pene exhausit. Ut enim pars haec doctrinae catholicae seorsim et uberius tractaretur, effecit controversia excitata a Baianis, quae hac in re potissimum vertebatur. Si autem praeterea consideres universam theologiam in materia supernaturali versari, facile intelliges opportunam maxime imo necessariam esse huiusmodi tractationem: et quemadmodum tractatio de locis theologicis fundamenti loco est pro universa theologia, ratione principii formalis eiusdem, ita hanc, ratione obiecti, alterum veluti eiusdem scientiae fundamentum habendam esse.

Duabus ergo partibus haec nostra tractatio continebitur. Prior erit de Creatione, in qua disputabitur tum de iis quae generatim spectant ad creationem, tum de praecipuis creaturis, Angelo scilicet ac Homine, ratione habita tantum ordinis naturalis. Qua in re monemus quod cum de huiusmodi rebus in Philosophicis quoque Institutionibus quoad fieri licuit disputaverimus, heic censuimus nobis integrum esse quaedam supponere et ad superius tractata lectorem reicere. Altera pars erit de Elevatione naturae ad ordinem supernaturalem, in qua primum essentia boni supernaturalis declaranda et asserenda erit, tum demonstrandum erit factum elevationis utriusque naturae, humanae videlicet et angelicae ad illum ordinem: quae quidem elevatio in ipsa creatione facta est. Nequit vero completa censi ista tractatio, nisi et de primitivo lapsu utriusque naturae ac praesertim humanae disseratur; nam ad perfectam intelligentiam tum essentiae bonorum supernaturalium tum facti elevationis plurimum conducit notitia amissionis eorundem bonorum ac praesertim ea quae facta est in universa natura per peccatum protoparentis. Et hoc pacto via munitur ad tractationem de restitutione ordinis supernaturalis facta per Mediatorem Christum, atque de eiusdem Gratia, quae peculiare tractatus sibi vindicant. Quoniam vero qui de lege aliqua agit, eundem et de exceptione, siqua contingat, agere oportet; adiiciendam duximus tractationem de Immaculato Deiparae Conceptu, quam nefas profecto est theologo praeterire. Ita fiet ut cuius auxilium opus est coeptum, eiusdem laudibus absolvatur.

PARS I.
DE CREATIONE

CAPUT I.

DE CREATIONE GENERATIM.

ARTICULUS I.

DE IPSA RERUM OMNIUM EX NIHILLO PRODUCTIONE

§. 1. DE CAUSA EFFICIENTE CREATIONIS.

Thesis I.

Ad notiones catholicas spectat conceptus creationis, quae est productio rei ex nihilo eorum omnium quae ad eiusdem rei constitutionem spectant.

I. Conceptum proponimus *creationis*; non disputamus scilicet de eiusdem existentia aut possibilitate, sed solum quaerimus quid *creationis* nomine intelligendum sit; versamur proinde in prima mentis operatione, quae est apprehensio rei, non in altera qua iudicatur an res sit vel non sit. An forte quis monebit definiti non posse creationem nisi eius possibilitate supposita? impossibile enim concipi nequit. Verum reponimus 1. quod et ipsa quaestio de possibilitate rei supponit notionem rei, cuius possibilitas quaeritur: scilicet 2. potest haberi conceptus quidam rei ex synthesis idearum ita ut ea synthesis vel sit iuxtapositio tantum idearum in mente, vel realem exhibeat formalitatum expressarum unitatem in aliquo subiecto. Utra ea sit diiudicandum est cum quaestio de possibilitate agitur. Verum quidem est quod cum aliquid immediata evidentia apparet impossibile, sicut illud vere concipi nequit, ita nec eiusdem dicitur esse aliqua definitio, at cum rei repugnantia immediate non est evidens, etsi reapse repugnet; sicut notio eiusdem, quae non est vere nisi quaedam iuxtapositio idearum, haberi potest a pluribus ut vera definitio nondum cognita eius impossibilitate, ita et tali appellatione insigniri solet, ut dicatur definitio: definitio scilicet rei quae conci-